AD QVODLIBETARIAM
QVAESTIO MEDICA,
MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS
in ſcholis Medicorum die Iouis IX. Februarij, magiſtro Andrea du Chemin doctore medico, Moderatore.

An grauidis acutè laborantibus phlebotomia Catharſi tutior.

TAΣ ἐπιφόρους ſymptomatum ſeges comitatur. mulieribus ſtatim à conceptu corpus ingraueſcit & horret, caput dolet, palleſcit cum virore facies, aſpredine tuberculoſâ nigrâ fœdatur, oculi caligant, retrahuntur, excauantur, adnata tunica liueſcit, ſtrident dentes, articuli conuelluntur: Primis menſibus faſtidit ſtomachus, ventriculus nauſeat, expellitve quod ſibi moleſtum, proſtratur appetitus, conficiuntúrque penuriâ victus; Pica, καρδιωγμὸς, παλμὸς, ἔκλυσις, hyſterica paſſio, tuſſis infeſtat, ingruit mœſtitia, hypochondria dolent, dyſenteriæ eis commodæ accidunt, ſæpéque morbus familiaris velut ſepultus, reuiuiſcit: Poſtremis verò pedes frequentiſſimè tumeſcunt, ſtranguria, frequens mictio, & alui interceptio eas vexat. Hi omnes affectus nullis aut leuibus admodum præſidiis indigent, horum enim finis ἀτοκία.

AT in graues acutóſque morbos aliquando incurrunt, qui miſellum fœtum ad exitum, fœtámque miſeram ad exitium præcipitant: Tales ſunt pleuritis, peripneumonia, angina, febres continuæ, cauſos, phrenitis, lethargus, cephalalgia ſoporoſa cum graui torpore coniuncta, epilepſia, apoplexia, conuulſio, tetanus, nephritis, colicus dolor, cholera morbus, voluulus, vteri eryſipelas, & teneſmus: qui quidem quum ſua magnitudine naturam proſternant, generoſa remedia, qualia ſunt phlebotomia & Catharſis, quibus ipſa leuetur, matérque à fatali iam meta ad lucem reuocetur, & vnà cum ea fœtus ſeruetur, poſtulant: ad morbos námque maximos profligandos, curationes omninò ſummæ potentiſſimæ.

PHLEBOTOMIA, vniuerſalis omnium ὁμοτίμως humorum vacuatio, morborum à plenitudine commune auxilium, his tribus intrepidè celebranda ſuadetur, morbi magnitudine, virium robore, & florenti ætate, quibus conſentiunt aut repugnant temperamentum, habitus, ſexus, aëris conſtitutio, & cõſuetudo. Triplex ea ſtatuitur; Κένωσις plethoræ puræ, impuræve, ad vaſa, aut ad vires, imò cacochymiæ ipſi interdum ſuccurrens: Ἀντίσπασις humoris ſiue foras prorumpentis, ſiue in partem aliquam procumbentis, in contrarium tractus: In ea contrarietas & ἰθυωρεία, diſtantia, communis ſocietas & amplitudo vaſorum diligenter obſeruanda: Παροχέτευσις humoris partim adhuc fluentis, partim iam illapſi in vicinam partem deductio; quæ opportunè fit præmiſsâ antiſpaſi, cùm impetus fluxionis iam reſedit, neque impendentis ſuſpicio eſt.

KATHARSIS, eorum quæ qualitate ſunt moleſta per medicamentũ purgans euacuatio, cacochymiæ extirpandæ conſecrata. Totidem autem medicamentorum ſimilitudine ſubſtantiæ purgantium Ideæ, quot humorum peccantium genera exiſtunt: quorum ſpecies, quale; materia atque copia, quantum; ſitus denique & ſedes, quam validum aut imbecillum medicamentum præſcribit. facilis fœliciſque purgationis tempeſtiua occaſio ex humoris morbifici ὀργασμῷ & eiuſdem mitificati πεπασμῷ ſpectatur. Concitata & cœptis immanibus effera materia protinus primo morbi tempore, purgatione eſt excludenda: morbis incipientibus ſi quid mouendum videtur, moue: Altiùs verò in corpore recondita aut certis partibus impacta, ſiue vaſis maioribus concluſa, non ante pepaſmum, qui ſolo morbi ſtatu fit, expurganda. Cocta non cruda medicari.

VT antiquiſſimum, ſic expeditiſſimum magni cuiúſque morbi præſidium eſt ſanguinis per venæ ſectionem eductio, omnibus vacuandi artibus præferenda, vtpote cuius ſolius quantitas in manu medici ſit, quæque minima naturæ perturbatione, nullo periculo, prima plerúnque morbi die, vnius horæ ferè ſpatio, nullóque faſtidio affectũ ſoluat. At quæ catharticorum ope fit vacuatio multùm peccat in commoda fœtæ & fœtus, eorum ſiquidem natura corporibus noſtris infeſta ac deleteria, ventrem ac præcipuè ſtomachum ὑδρωδέστατον grauiter lædit ac comprimit adeóque vehementer vniuerſum corpus exagitat & commouet, naturam ab opere ſuo auocans ac diſtrahens, vt in grauidis aborſum efficiat, aut ſaltem fœtum imbecillum reddat, *Quem tantùm terris oſtendent fata, neque vltra eſſe ſinent.*

Ergo grauidis acutè laborantibus phlebotomia catharſi tutior.



Aſſerit IOANNES AKAKIA Lutetianus, anno Domini 1612.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Symphorianus Haultin. *M. Joannes Deſgorris.* *M. Nicolaus Pietre.*